


LVNÆ DIE 14 M. AVGVSTI A. 2017  
A.d. XIX Kal. Septembres a. MMXVII

# I 9 9

# M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**  
AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## DE VEGETALIVM MVNDO SECRETO


- scripsit Gaius Licoppe -

Non pauci botanistæ hodierni plantis tribuere volunt intelligentiam in actu; de hoc argumento nonnulla narraui in *Melissæ* fasciculo 198. Nunc autem tractabo de stupenda intelligentia, quæ in ortu incrementoque plantarum patet.

Plantæ sunt prima viventia, quæ terram ex aquis emersam occupare cœperunt; antea vita, in aquis orta (ante circiter 4 annorum miliarda), diutissime tantum mansit aquatica. Terræ enim emersæ diu non fuerunt ad vitam aptæ, cum nihil obstaret letalibus solis radiis ultravioleticis. Non ante 600 miliones annorum pars oxygenii in atmosphæra fere eadem facta est ac nunc (21%) et stratum ozonii in alta atmosphæra constitutum est, quo terrarum emersarum solum a radiis ultravioleticis protegitur. Cur tantum creverit oxygenii copia, adhuc nescitur, neque scimus cur eadem ab eo tempore manserit stabilis.

Quo longius ab origine vitæ in terris emersis repetere conamur, eo rariora tenuioraque inveniuntur viventium vestigia. Sic fit ut anno 2010 in periodico *The new Phytologist* divulgatus sit inexpectatus nuntius fossilium sporarum (e Græco σπορά, semen) in Argentina inventorum, quarum ætas est 473-471 miliones annorum, i.e. 40 milionibus maturior quam putabatur fuisse initium vegetalium terrestrium. Locus inventionis est ora maritima Argentinæ, quæ congruit cum ora orientali antiquissimi continentis *Gondwana*.<sup>1</sup>

Sporarum inventarum structura fere similis est



*Sporarum fossilia in Argentina inventa*

structuræ hodiernarum hepaticarum, quæ sunt parva vegetalia solum operientia sine stipite, foliis, nec radicibus; nondum e cellulis constant, sed tamen chlorophyllo prædita sunt, quo photosynthesi CO<sub>2</sub> consumunt et oxygenium ut purgamentum emittunt.<sup>2</sup>

Scientia genetica docemur hepaticas ex algis viridibus provenisse, sed quomodo ea simplicissima vegetalia prima facta sint terrestria, non plane scitur. Videntur aliquæ algæ, quarum aquæ lacunæ certo anni tempore exsiccabantur, gradatim assuefactæ esse vitæ extra aquam.

Primus gradus evolutionis horum primitivorum vegetalium est apparitio novi generis plantæ stipite præditæ, qui sporas gerit. Ei emolumento est aquam iam non necessariam esse ad sporas dispergendas; ventus enim sufficit; hodierni musci adhuc pertinent ad hoc genus.

Secundo gradu plantæ, quo altiores fierent, prædita sunt canaliculis aptis ad alentem sucum per stipitem ducendum.

Nova plantarum genera creari non desinunt. Stipes folia gerens, qui uno nervo canaliculo instructo præditus est, apparet ante circiter 420 miliones annorum. Decem milionibus annorum post, folia nervis magis magisque multiplicibus ornata apparent; organa, quibus sporæ generantur, sunt sub foliis. Hodiernæ filices pertinent ad hoc genus.

Bestiæ terrestres plantis vescuntur, quare non apparent antequam earum copia in orbe terrarum satis magna facta est, i.e. ante circiter 450 miliones annorum. Inter primas sunt insecta, e quibus decursu temporum apparent genera volantium. Singulares necessitates iungunt certas plantas cum aliquibus animalibus.

Ludus evolutionis suum arcanum cursum pergit. Nova molecula, ligninum vocata, circa -400 milia annorum apparet, e qua, ut etymologia demonstratur, lignum præcipue constat. Tunc arbores apparent quarum primæ, decem metra altæ, pertinent ad genus simile hodiernis filicibus.

Ante 360 circiter miliones annorum apparent plantæ grana ferentes (spermatophytæ), in quibus embryones involucro duro proteguntur. Habent reproductionem sexalem, qua genoma duarum plantarum (maris et feminæ) miscetur ad unum embryonem generandum; sic embryones magna varietate fruuntur, qua plantæ se aptare valent ad vitæ condiciones in circu-



*Supercontinentis Gondwanæ conglomeratio, ante 550 miliones annorum (Wikipedia)*

## AD LECTOREM

miectis mutabilibus. Antea reproductio vegetaliū terrestriū fiebat sporis, quæ sunt commodæ, cum fecundatione non egeant ad novam plantam generandam, sed carent varietate.

Arbusculæ grana ferentes sunt primum experimentum reproductionis sexualis sed sine progenie disparent. Post 20 miliones annorum experimentum iteratur in nova familia vegetaliū, quæ dicuntur gymnospermæ (prima pars spermatophytarum); tantum sunt arbores et præcipue coniferæ (præsertim abietes). Sine mora multiplicantur et brevi fiunt arbores 30 metris altæ.

Ante circiter 130 miliones annorum apparent plantæ floribus ornatae sive angiospermæ (altera pars spermatophytarum). Quæ magnas novitates afferunt:

- organa reproductionis masculina et feminina sunt in flore sita;
- ovula proteguntur ovario, quod amplificatur ad pomum conficiendum.

Minima pollinis (e Græco πάλιν, farina vel pulvis) grana continent fecundationis cellulas masculinas et sunt mobilia; oportet ad cellulam femininam ovulum vocatam ducantur, sive vento, sive insectis, ut ovuli fecundatio habeatur.

Tam prospere crescunt angiospermæ, ut nunc sint

nonaginta centesimæ partes (90%) totius vegetaliū massæ in orbe terrarum. Anno 2015, 369 milia generum iam recensa erant ac quotannis adduntur duo milia!

Vegetalia atmosphæram quoque afficiunt. Decursu temporum, de quibus tractatum est, tanta facta est abundantia vegetaliū, quæ CO<sub>2</sub> vescuntur, ut, deficiente «CO<sub>2</sub> effectu subvitreo»,<sup>3</sup> certis intervallis fiant ætates glaciales.

Verbum apparendi sæpe et necessarie adhibitum est decursu huius narrationis. Cur autem hæc omnia magis magisque complexa gradatim apparuerint, nescimus... ut homo, qui ipse gradatim apparuit, splendidis floribus pomisque delectaretur? Vivimus re vera in paradiso, a letalibus solis radiis ozonio tuti, CO<sub>2</sub> effectu vitreo calefacti, plantis et bestiis aliti... ☺

- 
1. Forma et situs terrarum emersarum ante 500 miliones annorum valde alii erant ac nunc sunt; continens meridionalis illius ætatis vocatur *Gondwana*; eius ora maritima congruebat cum ea hodiernæ Argentinae.
  2. Plura de photosynthesi legi possunt in symbola c.t. «De nova genesi II» in *Melissæ* fasciculo 197.
  3. Effectus subvitreus: Fr. *effet de serre*, Angl. *greenhouse effect*.



*Athyrium filix femina*

(O.W. Thomé, 'Flora von Deutschland, Österreich und der Schweiz', 1855 - Wikipedia)

## DE ANTIPODIBVS

– scripsit Francisca Deraedt –

ANTIPODES (geographia). Nomen quo designantur populi habitantes globi regiones diametraliter oppositas, id est latitudine eadem ad quantitatem, sed diversa ad situm æquatoris, aliis in septentrionalibus versantibus, aliis in meridianis regionibus. Inde sequitur ut longitudinis differentia semper sit 180 graduum. Lutetiæ antipodes sunt in Magno Oceano, ad meridiem et orientem Novæ Zelandiæ. Antipodes dies et noctes habent eiusdem longitudinis, simulque eadem anni tempora, at non simul sed alternatim. Antipodum nomen ortum est e duobus vocabulis Græcis, ἀντί et πούς.

Confundendi non sunt antipodes cum antœciis (incolis oppositis); qui versantur sub eodem meridiano, sed latitudinibus quantitate æqualibus et æquatore oppositis. In disciplina geographica etiam agitur de perœciis (i.e. circa habitantibus); qui versantur sub eodem parallelo et sub meridianis oppositis. Incolæ Mexici et urbis *Surat* sunt pericæcii.

Antiqui nonnumquam antichthones vocaverunt populos viventes sub diversis cælis sed non meridiano omnino opposito. Antipodes vocaverunt nostros antœcios (incolas oppositos). Plinius, Mela, Manilius et Cicero de eorum existentia non dubitaverunt. Macrobius, in *Commentario in Ciceronis Somnium Scipionis*, omni conatu demonstrat Ciceronem credidisse antipodes exstare; et ut clare appareat mens oratoris Romani, Macrobius eius propria verba refert: «in quo (australi cingulo) qui adversa nobis urgent vestigia».

Everso imperio Romano, opiniones mutatae sunt, etiam de rebus ad solam philosophiam humanam pertinentibus. Lactantius totum capitulum 23 quinti libri *Divinarum Institutionum* dedicat derisioni eorum, qui putent esse antipodes. Sanctus Augustinus, capitulo nono operis *De civitate Dei*, etiam negat eos exstare.

Hæc *Encyclopædia moderna sive Lexicon abbreviatum Scientiarum, Litterarum et Artium*, undevicesimo sæculo.<sup>1</sup> Etsi fateor, bone lector, subtilem distinctionem inter antipodes, antichthones, antœcios et pericæcios plane superare parvum intellectum meum, antipodes multum amo. Qui aliis videntur esse heroes capite inverso periculose ambulantes, aliis monstra mediævalia miris cruribus prædita, teste Isidoro Hispalensi cuius testimonio semper fidere possumus: «Antipodes in Libya plantas versas habent post crura et octonos digitos in plantis.»<sup>2</sup>

Lucundæ memoriæ mihi semper sunt antipodes: nam olim, cum inter aliquod seminarium Latinum una tractarem *Nicolai Klimii* lepidissimum iter sub-

*terraneum*,<sup>3</sup> cumque unus e participibus (et ipse lætæ memoriæ; sit ei nunc terra levis) quid sibi vellent antipodes, obiter interrogaret, nec ullus adesset Neozelandiensis rem inscio propria experientia enodaturus, equidem ioci causa infantilem imaginem in albo delineavi, hunc in modum: Quantum autem stupui spectaculo viri nostri, minime offensi, nequaquam deridentis, sed in libello suo diligentissime exscribentis ridiculas has lineolas, additis commentariis accommodatis! Ex eo tempore, bone lector, antipodes, nescio cur, mihi sunt cordi.



D'Alembertius, auctor celeberrimæ *Encyclopædiæ*,<sup>4</sup> dicit Platonem primum haberi, qui suspicatus sit esse antipodes, eisque hoc nomen dederit. Plerosque tamen auctores antiquos hanc opinionem summo despectu consideravisse neque concipere potuisse quomodo homines infra possent ambulare. Causam huius erroris in eo esse, quod non cogitaverint vocabula 'supra', 'infra', esse relativa, cum omnes ubique afficiantur terræ attractione.

Hic non est locus tractandi quis primus intellexerit Terram esse rotundam, quibus rationibus alii aliter iudicaverint. Omnes scimus Terræ rotunditatem haud paucis philosophis a Pythagora fuisse notam, neque rem latuisse Mediævalibus eruditis. Mihi tantum in animo est nonnullos auctores proferre, qui de antipodibus miras præbuerunt sive descriptiones sive cogitationes.

Iam Plato eos memorat in *Timæo* (62 c), ac post eum Cicero:

«Nonne etiam dicitis, esse e regione nobis, e contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis? Cur mihi magis succensetis, qui ista non aspernor, quam eis qui, cum audiunt, desipere vos arbitrantur?» (Ac. IV, 39).

Plinius Maior, quippe qui de omnibus omnino rebus tractaverit, eisdemque non raro mirabilibus, de antipodibus non poterat non loqui. Ideo paucis verbis superbe refutat persuasiones vulgi de difficultate in altera orbis parte ambulandi:

«Ingens hic pugna litterarum contraque vulgi, circumfundi terræ undique homines conversisque inter se pedibus stare, et cunctis similem esse verticem, simili modo ex quacumque parte media calcari, illo quærente, cur non decidant contra siti, tamquam non ratio præsto sit, ut nos non decidere mirentur illi. Interventit sen-



*Antipodis imago mediævalis*  
(Lambertus de Sancto Audomaro, XII sæc.)

tentia quamvis indocili probabilis turbæ, inæquali globo, ut si sit figura pineæ nucis, nihilo minus terram undique incolit.

«Sed quid hoc refert, alio miraculo exoriente, pendere ipsam ac non cadere nobiscum, ceu spiritus vis, mundo præsertim inclusi, dubia sit, aut possit cadere, natura repugnante et quo cadat negante.» (Nat. Hist. II, 65)

Lucretius (Nat. I, 1052-1069) paucis versibus negat esse antipodes; quæ res ei eo absurdior videtur, quod, sic saltem aiunt homines arcanorum Lucretianorum periti, Terram verisimiliter habebat disco similem. Vergilius, Mela, Lucanus, Manilius etiam breviter alludunt ad hoc argumentum.

Christiani autem scriptores maiorem difficultatem in eo experiuntur, quod, si sint (si essent) illic homines, cogitandum sit aut esset eos non esse Adami posteros ideoque non esse redemptioni promissos. Hoc autem non posse concipi. Itaque Lactantius, ‘Cicero’ ille ‘christianus’, in *Divinis institutionibus* stolidos vehementer increpat qui huiusmodi nugæ divulgare audeant:

«Quid illi, qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? Aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora, quam capita? Aut ibi, quæ apud nos iacent, inversa pendere? Fruges et arbores deorsum versus crescere? Pluvias, et nives, et grandinem sursum versus cadere in terram? Et miratur aliquis, hortos pensiles inter septem mira narrari, cum philosophi et agros, et maria, et urbes, et montes pensiles faciant? Huius quoque erroris aperienda nobis origo est. Nam semper eodem modo falluntur. Cum enim falsum aliquid in principio sumpserint, veri similitudine inducti, necesse est eos in ea, quæ consequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicula; quia

necesse est falsa esse, quæ rebus falsis congruunt. Cum autem primis habuerint fidem, qualia sint ea, quæ sequuntur, non circumspeciant, sed defendunt omni modo; cum debeant prima illa, utrumne vera sint, an falsa, ex consequentibus iudicare.

«Quæ igitur illos ad Antipodas ratio perduxit? Videbant siderum cursus in occasum meantium; solem atque lunam in eandem partem semper occidere, atque oriri semper ab eadem. Cum autem non perspicerent, quæ machinatio cursus eorum temperaret, nec quomodo ab occasu ad orientem remearent, cælum autem ipsum in omnes partes putarent esse devexum, quod sic videri, propter immensam latitudinem necesse est, existimaverunt rotundum esse mundum sicut pilam, et ex motu siderum opinati sunt cælum volvi, sic astra solemque, cum occiderint, volubilitate ipsa mundi ad ortum referri. Itaque et aereos orbis fabricati sunt, quasi ad figuram mundi, eosque cælarunt portentosis quibusdam simulacris, quæ astra esse dicerent. Hanc igitur cæli rotunditatem illud sequebatur, ut terra in medio sinu eius esset inclusa. Quod si ita esset, etiam ipsam terram globo similem; neque enim fieri posset, ut non esset rotundum, quod rotundo conclusum teneatur. Si autem rotunda etiam terra esset, necesse esse, ut in omnes cæli partes eandem faciem gerat, id est montes erigat, campos tendat, maria consternat. Quod si esset, etiam sequebatur illud extremum, ut nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus ceterisque animalibus incolatur. Sic pendulos istos Antipodas cæli rotunditas adinvenit.

«Quod si quæras ab iis, qui hæc portenta defendunt: quomodo ergo non cadunt omnia in inferiorem illam cæli partem?, respondent, hanc rerum esse naturam, ut pondera in medium ferantur, et ad medium connexa sint omnia, sicut radios videmus in rota; quæ autem levia sunt, ut nebula, fumus, ignis, a medio deferantur, ut cælum petant. Quid dicam de iis, nescio, qui, cum semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant, et vanis vana defendunt; nisi quod eos interdum puto aut ioci causa philosophari, aut prudentes et scios mendacia defendenda suscipere, quasi ut ingenia sua in malis rebus exercent, vel ostendant. At ego multis argumentis probare possem, nullo modo fieri posse ut cælum terra sit inferius, nisi et liber iam concludendus esset, et adhuc aliqua restarent, quæ magis sunt præsentis operi necessaria. Et quoniam singulorum errores percurrere non est unius libri opus, satis sit pauca enumerasse, ex quibus possit qualia sint cetera intelligi.» (Inst. III, 24)

Lactantium manifesto sequitur Augustinus:

«Deus enim creator est omnium, qui ubi et quando creari quid oporteat vel oportuerit, ipse novit, sciens universitatis pulchritudinem quarum partium vel similitudine vel diversitate contexat. Sed qui totum inspicere non potest, tamquam deformitate partis offenditur, quoniam cui congruat et quo referatur ignorat. Pluribus quam quinis digitis in manibus et pedibus nasci homines novimus; et hæc levior est quam ulla distantia; sed tamen absit, ut quis ita desipiat, ut existimet in numero humanorum digitorum errasse Creatorem, quamvis nesciens cur hoc fecerit. Ita etsi maior diversitas oriatur, scit ille quid egerit, cuius opera iuste nemo reprehendit. (...)»

«Quod vero et antipodas esse fabulantur, id est homines a contraria parte terræ, ubi sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est. Neque hoc ulla historica cognitione didicisse se affirmant, sed quasi ratiocinando coniectant, eo quod intra convexa cæli terra suspensa sit, eundemque locum mundus habeat et infimum et medium; et ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ infra est, habitatione hominum carere non posse. Nec attendunt, etiamsi figura conglobata et rotunda mundus esse credatur sive aliqua ratione monstratur, non tamen esse consequens, ut etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda sit terra; deinde etiamsi nuda sit, neque hoc statim necesse esse, ut homines habeat. Quoniam nullo modo Scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem eo, quod eius prædicta complentur, nimisque absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate traiecta, navigare ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum. Quapropter inter illos tunc hominum populos, qui per septuaginta duas gentes et totidem linguas colliguntur fuisse divisi, quæramus, si possumus invenire, illam in terris peregrinantem civitatem Dei, quæ usque ad diluvium arcamque perducta est atque in filiis Noe per eorum benedictiones perseverasse monstratur, maxime in maximo, qui est appellatus Sem, quando quidem Iapheth ita benedictus est, ut in eius, fratris sui, domibus habitaret.» (Civ. XVI, 8-9)

Videmus hic, ait D'Alembertius in *Encyclopædia*, sanctum Augustinum errare cum putet antipodes alia stirpe oriundos esse atque nos. Nam hi antipodes denique exstant, ac patet omnes homines natos esse ex Adamo. Quo autem modo hi homines transierint ad terras, quas incolunt, facillime explicatur; permultæ huius rei rationes, et omnes verisimiles, proferri possunt. Ceterum animadvertamus hic sanctum

Augustinum re vera ut hæreticam condemnare opinionem, qua antipodes putentur non esse ex Adamo, sed ex alia stirpe ortos; at eam non condemnat, quæ tantum ferat ut sint antipodes. Si cogitavisset de his duabus opinionibus distinguendis, procul dubio alteri assensus esset. Quidquid id est, quamvis in hac parva quæstione geographica erraverit, inde in Ecclesia non minus æstimantur eius scripta de fidei memoriæque veritatibus, ac manet patronus catholicorum contra manichæos, donatistas, pelagianos, semipelagianos et ceteros. Hæc *Encyclopædiæ* auctor.

Imposito ergo Ecclesiæ imperio, totus orbis manifesto mutatus est. Antipodes non iam exstant. Lactantii et Augustini opiniones mox fiunt dogmata. Octavo sæculo Virgilius, episcopus Salisburgensis, a Bonifacio papæ legato accusatur quod palam autumaverit esse antipodes. De hac re interrogatus Zacharias tum summus pontifex anno 748 respondet epistula, quæ est servata in Iacobi Pauli Migne *Patrologia Latina*: «Et hoc intimatum est a tua fraterna sanctitate, quod Virgilius ille, et nescimus si dicatur presbyter, malignatur adversum te (...) De perversa autem et iniqua doctrina eius, qui contra Deum et animam suam locutus est, si clarificatum fuerit ita eum confiteri, quod alius mundus et alii homines sub terra sint, seu sol et luna, hunc, habito consilio, ab ecclesia pelle, sacerdotii honore privatum. (...) Qui enim seminant dolores, ipsi metunt eos. Sic enim scriptum est: Perversæ cogitationes separant a Deo; probata autem virtus corripit insipientes (Sap. 1).»<sup>5</sup>


D'Alembertius videtur hac historia esse commotus, qui eam longius, quam fortasse meretur, enarret, addens sententiam de alio sole et luna antipodibus lucente, si hæc re vera fuerit Virgillii persuasio, potius vocandam esse crassum errorem quam hæresin.

Insulæ autem Antipodes, anno 1800 inventæ ab Henrico Waterhouse haud longe a Nova Zelandia, sic eo vocatæ sunt quod hæc terra erat urbi Londinio maxime antipodalis. Satis recentes, hæc insulæ disputatione vulcanica ante unum duove miliones annorum ortæ præsertim constant e lava et cineribus. Venti ibi flant vehementissimi. Undevicesimo sæculo, octoginta tantum homines ibi vivebant, commercium exercentes pellium otariidarum. In tam inhospita regione homines tuguria confecerant naufragis, si quando essent, destinata, præditaque vestibus, cibis aliisque vitæ necessariis. At anno 1893 primi naufragi, qui his tuguriis frui potuerunt, ad ea numquam pervenerunt, vulneribus inediaque nimium debilitati. Anno autem 1908

Francogallica navis 'Président-Felix-Faure' illuc violenta tempestate etiam deiecta est. Nautæ, viginti duo numero, unum ex his salvatoriis tuguriis invenerunt, parum tamen aptum eorum numero: cibi enim, calcei et vestes suppeditabant quinque hominibus, et quidem ad breve tempus. Calceos confecerunt avium pennis. Frigus erat terribile, lignum rarum. Hi moderni Robinsonii sexaginta dies vixerunt avium ovis carneque pinguinorum usque dum aliqua navis Anglica eos invenit et servavit. Diarium *Le petit Journal illustré* diei 2 m. Augusti a. 1908 eorum miserias modo vere dramatico, plane etiam romantico, narrat.

Hæc quidem habui quæ memorarem de antipodibus. Hodie, vigente scientia, asseverare non iam licet homines in altera orbis parte ambulare inversos. Tamen de longinquis regionibus semper licet, bone lector, ita somnare ut tibi placet! ☪

1. *Encyclopédie moderne ou Dictionnaire abrégé des Sciences, des Lettres et des Arts*, par M. Courtin, ancien magistrat, et par une société de gens de lettres, Paris, 1823.
2. *Etymologiæ*, XI, 24.
3. Auctore Ludovico Holberg, 1741. Textus variis locis invenitur in interreti, etiam in sede Danicæ bibliothecæ regjæ: [www.kb.dk](http://www.kb.dk) > Niels Klim (1741) Homepage.
4. *Encyclopédie, ou Dictionnaire Raisoné des Sciences, des Arts et des Métiers*, par une société de gens de lettres, mis en ordre & publié par M. Diderot, de l'Académie royale des Sciences & des Belles-Lettres de Prusse; & quant à la partie mathématique, par M. D'Alembert, de l'Académie royale des Sciences de Paris, de celle de Prusse, & de la Société royale de Londres, Paris, 1751.
5. Epistola XI Zachariæ papæ ad Bonifacium archiepiscopum, (Sancti Zachariæ Romani Pontificis epistolæ et decreta, in: *Patrologia Latina, Octavi sæculi ecclesiastici scriptores*, tomus 89, Parisiis, 1850, p. 946-947).



Imago diarii 'Le petit Journal illustré', 2 m. Augusti a. 1908.



## ADAM, QVIS ES? (II)

– scripsit Gaius Licoppe –

Non ante medium vicesimum sæculum inventæ sunt methodi physicæ, quibus fossilium ætas iam non solum relative æstimari posset sed etiam absolute mensurari et hoc magis magisque accurate; prima earum methodorum, «carboni 14» scilicet, in usum inducta est ab anno 1950.

Non omnes docti putabant hominis longinquum progenitorem fuisse aliquem simium, similem eis nostra ætate adhuc viventibus, et mox hoc credere iam non licuit.

Angli coniuges Leakey, præhistorici, maxima inventa fecerunt in valle *Olduvai*, in Tanzania, tunc Britannorum colonia, sita. Cum usque ad 60 metra profunda esset, quasi rima in planitie, eius parietes accessum dabant ad complura strata, quorum profundissima erant antiquissima. Investigationes incohaverunt suis tantum opibus et anno 1928 primum publicaverunt inventionem skeleti humani antiquissimi. Ab anno 1960 cum 'National Geographic Society' eis auxilium pecuniarium præberet, illi, initio artifices, opus vere scientifice pergere potuerunt.

Collegerunt ingentem copiam instrumentorum præhistoricorum atque ossa animalium vel hominum, inter quæ vestigia 34 hominidarum; unum skeleton completum potuit coagmentari ex 1.500 fragmentis! Recentissimis metiendi methodis monstratum est ossa fossilia imi strati ætatem habere inter 1,9 et 1,65 miliones annorum.

Instrumenta lapidea inventa in hoc imo antiquissimoque strato sunt silices percussione tam parum mutati, ut non statim agniti sint ut instrumenta. Propter instrumenta primum consociata cum ossibus effossis novum genus creatum est, quibus nomen datum est «Homo habilis». Eodem tempore et in iisdem regionibus vivebat «Australopithecus».

Australopithecus sunt magni momenti, quia inter eos videtur fuisse progenitor generis 'Homo'. Primæ eorum reliquiæ anno 1924 inventæ sunt in Africa Australi; permultæ postea inventæ sunt in ingenti area ab Africa Australi ad Africam Orientalem patente, sed solum erant parvæ reliquiæ. Non ante annum 1974 effossa est in Æthiopia prope oppidum *Hadar* magna pars skeleti, quod tributum est feminæ cui cognomen Lucy ab inventoribus datum est; iacebat in strato cuius ætas est 3,18 milionum annorum. Tunc compertum est Australopithecum iam fuisse bipedem quamquam adhuc aptum ad arbores scandendas, modo simiorum; habet singularitates cum archaicis, ut parvum cerebrum, tum recentiores, ut dentes propinquos eis generis 'Homo'. Eorum multæ species vixerunt inter 6 et 2,5 miliones annorum ante ævum nostrum.

Homines habiles in rima Olduvæ non sunt antiquissimi; antiquiores enim postea effossi sunt in valle rivi *Omo* (in Æthiopia), qui 2,6 miliones annorum habent.

Anno 2015 instrumenta eiusdem generis ac ea Hominis Habilis effossa sunt prope lacum *Turkana* (in Kenya); hoc valde mirum est, cum eorum ætas sit 3,3 miliones annorum et tunc neque Homo Habilis neque quisquam progeniei Hominis iam apparuerit; probabiliter facta sunt ab aliquo genere Australopithecorum.

In qualem ordinem disponenda sint ossa fossilia hominidarum, quæ plura in annos usque ad iniens vicesimum primum sæculum inventa sunt, difficile decernitur. Sequitur ordo ossium effossorum ad «genus Homo» pertinentium, qualis hodie accipitur:

- Homo Rudolfensis > (-2,4 ad -1,8 miliones annorum): hic Homo prope lacum *Rudolf* effossus vix differt ab Homine Habili,
- Homo Habilis > (-2,4 ad -1,6 m. ann.),
- Homo Georgicus > (-1,8 ad -1,2 m. ann.), in Georgia inventus et primus generis Homo extra Africam. De eo plura infra.
- Homo Ergaster > (-1,9 ad -1 m. ann.),
- Homo Antecessor > (-1,2 m. ann. ad -700.000 ann.),
- Homo Erectus > (-1 m. ann. ad -300.000 ann.),
- Homo Heidelbergensis > (-600.000 ad -200.000 ann.), prope Heidelbergam inventus,
- Homo Neanderthalensis > (-250.000 ad -28.000 ann.),
- Homo Rhodesiensis > (-300.000 ad -125.000 ann.), in Rhodesia inventus,
- Homo Floresiensis > (-95.000 ad -50.000 ann.), in insula *Flores* in Indonesia inventus; nanus microcephalusque habet singularitates et primitivas et propiores Homini Sapienti; scientifici de eius loco adhuc sunt incerti, cum eius genoma nondum inventum sit,
- Homo Soloensis > (-95.000 ad -12.000 ann.), ex fluvio *Solo* in insula Iava; videtur fuisse Homo Erectus, qui diutius vixit in hac remota insula, quam ceteri Erecti,
- Homo Sapiens > (-200.000 ann. usque ad nos).


Hic ordo infeliciter adhuc nititur nimis parvo numero reliquiarum effossarum. Anno 2014 in spelunca, *Aroeira* nomine, non longe ab Olisippone ad septentrionem versus sita, sub sex metris sedimentorum, quæ lapidea facta erant, detectum est calvarium ætatis 400 milionum annorum. Ad quod extrahendum potentes machinæ necessariæ fuerunt, sed ut ipsa ossa et theca lapidea liberarentur aurificis potius instrumentis et magna patientia usi sunt archæologi. Res tamen operæ pretium erat, cum omnis homo illius ætatis in

Europa occidentali pertinere possit ad antecessores Hominis Neanderthalensis.

Alia calvaria eiusdem fere ætatis (inter 500 et 400 miliones annorum) effossa sunt in exigua area Europæ occidentalis; sunt fossilia calvaria inventa in *Sierra d'Atapuerca* in Hispania septentrionali, loco *Pitdown* in Angliæ regione *Sussex*, loco *Caune de l'Arago* in Pyrenæis Francogallicis. Hæc calvaria magnam diversitatem monstrant; non omnes ostendunt singularitates Hominis Neanderthalensis; non ergo omnes homines eorum temporum sunt antecessores Hominis Neanderthalensis; pertinent ad stirpes, quæ archaicæ manserunt et disparuerunt.

Quo plures inveniuntur fossilia calvaria, eo magis patet evolutionem Hominis non fuisse rectam lineam, sed potius lineam multis ramis ornatam, quorum plerique exincti sunt sine progenie.

In bifurco ante circiter 8 miliones annorum facto separantur duæ progenies, quarum una ducit ad anthropoidos simios, altera ad genus 'Homo', quod videtur in Africa apparuisse ante circiter duos annorum miliones.



Simius Chimpanze (generis Paninorum) non est Hominis progenitor, sed ambo habuerunt communem progenitorem ante circiter 500 milia annorum. Eorum genomatis 99,5 centesimæ partes eadem sunt. 'Pan' constat ex: 'Pan troglodytes' (Chimpanze) et 'Pan paniscus' (Bonobo). 'Pongo pygmæus' est nomen scientificum simii 'Orang outan'.

Homines gloriari solent quod soli in orbe terrarum valent recte stantes ambulare. Uno sæculo inventorum investigationumque scientificarum demonstratum est Hominem Sapientem factum esse bipedem solum post multos evolutionis gradus, qui initium iam habent apud Australopithecos ante complures miliones annorum.

Res extraordinaria, antiquissima vestigia pedum in vulcani cinere inventa sunt in Tanzania (in Africa orientali) inter effossiones annis 1976-77 factas ad locum *Laetoli* vocatum. Sunt vestigia trium bipedum



Supra, calvarium et cerebrum Hominis Sapientis. Infra, idem simii Chimpanze nobis proximi.

ambulatorum, quorum pedes tamen eis hodiernorum hominum nondum sunt similes; tantum enim nituntur pedis margine externa ac deest concava curvatura medii pedis; insuper pollex est prehensilis. Hæc vestigia, quorum ætas est 3,7 miliones annorum, pertinent ad Australopithecus Afarenses.



Vestigia Laetoli inventa

Inter annos 2005-08 inventa sunt in Kenya ad lacum *Tirkana* prima pedis vestigia, quæ pertinent ad genus 'Homo'; eorum ætas est circiter 2 miliones annorum. Ambulatores, duo adulti cum puero, Homines Ergastri vel Erecti, celeriter ambulabant pedibus iam modernis; pollex parallelus ceteris digitis factus erat neque iam prehensilis erat.

Vestigia pedum in Europa quoque inventa sunt; primum anno 2003 in Italia loco dicto *Roccamonfina*; 350 milia annorum habent et pertinent ad Hominem Erectum vel Heidelbergensem. Anno 2013 vestigia

etiam inventa sunt in Anglia, loco *Happisburgh* vocato, quæ antiquiora sunt; eorum ætas est 840 milia annorum, tempore quo Anglia isthmo iungebatur continenti; pertinere videntur ad Hominem Antecessorem.


Bipedis ambulationis evolutio etiam affectit morphologiam pelvis. Homo hodiernus, cuius ambulatio bipes inter cetera animalia optima est, habet pelvim exiguam, quo femora inter se propiora sint. Imagine gorillæ nobis fingere possumus, qualis fuerit morphologia pelvis progenitorum Hominis Sapientis, qui cœperunt bipedes ambulare. Sed hoc non factum est sine detrimento; evolutione enim pelvis exiguior facta est. Inde parturitio magis laboriosa fuit; cum enim evolutione caput fetus maius fieret, pelvim magis magisque difficulter transibat, quam ob rem fetus immaturi nascuntur et tempus necessarium ad ætatem adulti attingendam longius factum est.

Res inexpectata evenit ab anno 1999 in Georgia, quæ sita est in regione Caucasi inter Europam et Asiam. In loco *Dmanisi* vocato inventæ sunt reliquiæ hominis, inter quæ calvarium cuius capacitas mire parva erat (700-800 cc), eadem fere ac apud Hominem Habilem; pes contra aspectum multo recentiorem habebat; bona curvatura concava iam erat medio pedi. Eius vero instrumenta vix differebant ab eis Hominis Habilis in valle *Olduvai* inventis. Anno 2007 quattuor nova calvaria effossa sunt, quorum ætas est 1,77 milio annorum. Ossa *Dmanisi* inventa magnam partem similia sunt eis Hominis Erecti, sed minor huius hominis statura erat propior ei Hominis Habilis, qua re tantum monstratur quam varii fuerint primi Homines.

Hæc nova hominis species vocata est Homo Georgicus; primus est illius ætatis extra Africam inventus. Hæc est inventio magna, quia ex Africa migravit in Georgiam, unde patebat via tum in Europam cum in Asiam.

A posteriore dimidia parte vicesimi sæculi recens scientia genetica extraordinarium auxilium affert palæoanthropologiæ, ut patet ex alio recenti et stupendo invento. Loco *Denisova* vocato, in spelunca montis *Altai* in Sibiria parte meridionali, effossæ sunt paucissimæ hominis reliquiæ, i.e. duo dentes molares, fragmentum manus phalangis et pars extremitatis pollicis pedis... dices fere nihil. Multum tamen inde compertum est scientiæ genetiæ beneficio. Anno enim 2010 scientifici Instituti Max Planck anthropologiæ evolutionistæ valuerunt ex his minimis reliquiis ADN non solum mitochondriale extrahere, sed etiam nucleare et sic totum genoma personæ, cui pertinuerunt ossa, detegere.

Res autem inexpectata: hæc persona pertinebat ad



*Homo sapiens et gorilla stantes*

speciem adhuc ignotam, cui nomen scientificum nondum datum est. Eius ætas e circumiacentibus rebus mensurata inter 48 et 30 milia annorum est; cœvus ergo fuit Hominis Sapientis et Hominis Neanderthalensis et his tribus idem progenitor videtur fuisse.

Magis etiam mirum est partes genomatis Hominis Denisoviensis inventas esse in Hominis Sapientis genome, quo monstratur hos duos homines habuisse contactus sexuales. Idem anno 2013 publicatum est de Homine Denoviensi cum Homine Neanderthalensi.

Finem facio huius ambulationis per longissimam historiam originum Hominis Sapientis, quæ intra vix plus quam unum sæculum elaborata est nec desinit augeri. Gaudeant ei, qui timent ne orti simus a quodam simio; scimus nunc simios tantum esse nostros longinquissimos consobrinos. Homo Sapiens, nostrum genus, diu vixit in Vetere Continenti una cum duobus aliis hominis generibus a se satis propinquis, ut cum eis fertile commercium sexuale habere posset. Ex his tribus, solus Homo Sapiens adhuc vivit et nimie floret.

Comperimus Hominem apparuisse sub finem longæ seriei animalium sui magis magisque similium; nondum tamen plane explicatum est, quomodo apparuerint singulæ novæ species et genera.

Tituli quæstioni, quis sit Adam?, debemus respondere eum non fuisse unum. Sine fundamento scientifico est fabula Paradisi; obliviscenda est eius maris dominatio et grave pondus Peccati originalis. ☪

(Imagines: Wikipedia)

## IN MEMORIAM (I)

– scripsit Gaius Licoppe –

Quies æstivarum feriarum fortasse est bona ansa, qua nonnullos homines, qui Latinitati vivæ operam eximie dederunt, in memoriam revocemus. Ordo eorum, quos hic commemoro, ad nullam pertinet hierarchiam, sed tantum ad ordinem primorum *Melissæ* fasciculorum, in quibus olim sunt interrogati.

## ANDREAS ROBBE

Anno 1975 primum conveni Andream Robbe, Parisiensem, qui cantus choragi munere fungebatur in Theatro Melodramatico; ille vir, linguam Latinam in schola non edoctus, eam suo Marte didicerat et ab anno 1974 seminaria Latina a P. Cæleste Eichenseer uno anno ante creata participare solebat; bene Latine scribebat et in seminariis etiam loqui discebat.

Tunc temporis Lutetiam sæpe adibam propter munus meum medicum; his occasionibus Andreas egoque una prandentes de variis rebus sermocinabamur.

Anno 1981, Augustæ Treverorum inter Academiæ Latinitati Fovendæ conventum, comœdia Plautina c.t. *Miles Gloriosus* ab alumnis acta est magno spectatorum delectamento. Tunc dolui quod occasio huius comœdiæ videndæ ter tantum præbebatur ac mihi in mentem venit aliquid huius generis in pelliculam cinematicam recipiendum curare, quæ multo sæpius posset ostendi.

Cum Andreas Robbe, deposito munere in Theatro Melodramatico, spectacula variis locis appararet, consilium meum ei aperui; statim dixit se libenter fore spectaculi apparatus. Plerosque actores inter alumnos universitatis Bruxellensis coegit filia mea Diana; adiuncti sunt unus Germanus et unus Flandrus; ad rem etiam allectus est necessarius cinematographus, Mees nomine, qui iam diu cupiebat «peplum», ut aiunt, in pelliculam recipere; ingeniarius sonis recipiendis quoque inventus est. Volebam pelliculam musica ornari, quare Diana adiit professorem Universitatis Leodiensis Franciscum Duysinx, tum iam rude donatum sed qui in I.A.D. (*Institut des Arts de Diffusion*) docere pergebat; ille musicæ antiquæ peritissimus erat ac theatrum universitarium diu rexerat; non solum promisit se modos musicos compositurum esse, sed etiam voluit partes in comœdia agere.

Electa comœdia Plautina *Rudens* inscripta, eam brevare oportuit, ne pellicula unam horam excederet. Omnibus constitutis rebus, Andreas Robbe Bruxellas sæpe venit ad actores conveniendos docendosque.

Media æstate anni 1983 Neoportu in litore Belgico comœdia acta est tempestate secunda, et intra unam septimanam in pelliculam recepta.

Inter celebrationes Universitatis Liberæ Bruxellen-



*'Rudentis' pellicula: Andreas Robbe actores regens.*

sis ante 150 annos conditæ, die 21 m. Ianuarii a. 1984, pellicula *Rudentis* primum in albo monstrata est in universitatis magna aula spectatoribus referta. Licuit Andreæ Robbe operis sui successu frui, cui tantam operam dederat. Infeliciter duobus mensibus post, cum domi in grapheo laboraret, subita morte correptus est. Hoc nuntiavi in *Melissæ*, eodem anno creatæ, primo fasciculo.

## ANTONINVS IMMÈ

Cum tempore Paschali anni 1984 una cum P. Cæleste Eichenseer Ferias Latinas Matritenses participavisset, in reditu stationem feci Pali (*Pau* in Francogallia) apud Genovefam et Antoninum Immè. In mentem tum venit Antoninum, de quo non multa sciebam, interrogare. Quamquam senex et ægrotus erat, affabiliter respondit quæstionibus meis. Hæc interrogatio publicata est in *Melissæ* fasciculo secundo.

Antoninus Immè prope Syracusas, in viculo *Melilli*, natus est Kalendis Ianuariis anni 1901. Discipulus fuit primum in eo ipso oppidulo, postea Syracusis, dein Romæ, ut ipse narrat: « Quoniam illis temporibus Syracusis ipsis non erant ephebea, pater meus voluit me Romam mittere ad consequendam licentiam gymnasiale et, si posset fieri, ad classium lycealium doctrinam incipiendam. Cum iter illis temporibus, etiam tramine, esset diuturnum et onerosum, quia occupabantur fere 24 horæ traminis, pater meus me collocavit in loculamento secundæ classis, quod pergebat usque Romam, atque applicuit in veste mea hanc inscriptionem: 'Usque Romam, ubi aliquis eum accipiet et adducet ad Salesianorum Collegium, in via Marsala, prope stationem'. Ideoque ubi Romæ fui, vidi quendam barbatus virum, qui me exspectabat et nomine meo me vocavit: 'Tu es Immè?' – 'Ego sum' – 'Veni igitur mecum' et accepit partem sacculi mei et me ad

Collegium Salesianorum adduxit. Ubi moderator huius collegii me vidit, me rogavit ut exhiberem documentum probatorium et titulos scholasticos meos. Et quoniam eramus extra provinciam, opus fuit rogare patrem ut hoc meum documentum mitteret cum sanctione Syracusanorum præfecti. Debui tamen sustinere probationem, quæ fuit magna calamitas: Salesiani nolebant credere suis oculis me esse tam incultum! Me tamen immiserunt inter condiscipulos meos, qui incumbabant eisdem studiis meis, et fui postremus condiscipulorum meorum. Salesiani tamen me edocuerunt et bene studii litteris præsertim Latinis. Cum illis temporibus gereretur bellum inter gentes 1914-18 et exercitus noster deletus esset apud urbem *Caporetto*, et omnes Veneti mitterentur ad salutem petendam in regiones Inferioris Italiæ et in Siciliam, ego quoque debui redire Syracusas, ubi propter magnificam Salesianorum scholam consecutus sum licentiam lycealem optimis notis.»

Antoninus Immè tum alumnus fuit in Universitate Catinensi, quæ illis temporibus vocabatur «Siculorum gymnasium», quod hanc universitatem condiderat Fredericus II; ibi Latine loqui incepit cum magistris et æqualibus.

Postea, cum vellet adire militiam, missus est in regimen *Guardie Regie*, id est «Vigilum Regis», quæ legio locum habebat in regia urbis Casertæ. Ubi autem promotus est verus vigil, missus est Romam; et postquam Mussolini potitus est rerum, Antoninus, ne maneret sine munere, didicit artem Tironianam (quæ hodie vocatur stenographia) et factus est artis notarum magister. Ideoque condidit commentarium, cui titulus fuit *Il primato Stenografico Italiano*, et alterum, *Ense et Aratro* inscriptum (*ENSE = Ente Nazionale Scolastico Educativo*).

Cum deinde docere incepit sermonem Latinum, Syracusis in gymnasio, assidue Latine locutus est. Nam illo tempore regimen Mussolinianum multum favebat huic sermoni. «Et, inquit, incepi loqui et scribere cum collegis meis, cum amicis et cum discipulis. Inter nos collegas faciebamus quoque certamina ut ex improvviso Latine verteremus optima certamina Italica: qui ludus a nobis dictus est 'Veteres Musarum ludi felicitis temporis irremeabilis nostræ iuventutis'. Ubi postea translatus sum Romam et docere ibi perrexi, volui condere commentarium omnino Latine scriptum, cui nomen fuit *Aventinum*, quod in Aventino colle pater Ennius et Andronicus et Nævius habebant sedes suas. Hic commentarius conditus est anno 1971.»

Ad instituendum commentarium Latinum, Immè coegit nonnullos præclaros Latini sermonis magistros cultoresque, inter quos splendebant clarissima luce



*Genovefa Immè verba faciens inter Domus Latinæ inaugurationem.*

Hector Paratore et Dominus Del Ton et Pater Mir. Eodem fere tempore etiam Circulum Latinum condidit in Urbe.

Quædam Genovefa Métais, Francogalla, *Aventino* accepto commercium epistulare instituit cum periodici moderatore. Mox conveniunt et inter se manifesto congruunt Antoninus et Genovefa (futura Immè), de qua hic mox etiam agetur.

Denique operæ pretium est ea legere, quæ Antoninus Immè de fundatione *Dragan* narravit: «Rogatus sum ut adessem in quodam circulo, quem nondum noveram, qui dicitur *Fondazione Europea Dragan*; quod opus fundatum conditum est a Constantino Dragan, ubi debuit linquere patriam suam Dacoromaniam, postquam sinistrorsim potitus sunt rerum. In illo circulo agebatur de rebus præsertim litterariis. Ideoque adfui et rogatus quoque sum ut aliquid dicerem: optime verba mea exierunt ex ore meo et feci apologiam Latinitatis; atque fuit mea improvisa miratio, ubi, post verba mea, audivi aliquem mihi ignotum qui dixit se esse legatum a ministerio publicæ institutionis, ut ministerium sciret quid ageretur in illo circulo. Circulum laudavit et me quoque laudavit. Et pollicitus est se optime relaturum ad ministerium de nostris inceptis. Attamen ille mihi dedit conventum in ministerio et, ubi adii, mihi dixerunt eum profectum esse nescio quo! Ideoque Opus Fundatum *Dragan* me rogavit ut instituerem aliquid Latinitatis. Et ego hanc inscriptionem inveni: «Latine loquere ut civis Europæus habere!» et coeptæ sunt fieri scholæ, quas adibant omnes cultores Latini sermonis, quæ scholæ etiam nunc fiunt a Francisco Iohanne Barbalace curatæ.»

#### GENOVEFA IMMÈ

Cum Antoninus Immè hæc omnia narraret, simul primum conveni Genovefam Immè. Quæ etiam libenter respondit quæstionibus meis. Eam non puduit ætatem suam patefacere: Lutetiæ Parisiorum anno 1929 nata erat.

Annus 1939 Francogallis primus fuit alterius belli mundani; quare, patre militante, ipsa cum matre in Aquitaniam aufugit ad aviam et primum Latinæ doc-

trinæ colorem tunc accepit in aliquo collegio provinciali. Anno 1940, devicta Francogallia, Genovefa rediit Lutetiam, ubi tres annos studuit in Lyceo Camillo Sée dicato (qui vir politicus proposuit et anno 1880 efficere valuit ut promulgaretur lex, qua puellæ ad institutionem superiorem etiam accedere possent, quamquam nondum æquo iure cum maribus). Tunc, matre bombardarum metum iam non ferente, Genovefa cum ea iterum migravit in Aquitaniam, Palum, ubi tres ultimos annos usque ad probationem baccalaureatus studere perrexit.

Philologiæ studuit in Universitate Burdigalensi (*Bordeaux*), ubi inter eius professores fuit Petrus Grimal, clarus philologus, quem valde venerabatur. Restabat certamen habilitationis, quod Lutetiæ habebatur, cum esset certamen nationale; hoc ultimum obstaculum feliciter superavit.

Deinde facta est linguæ Latinæ magistra in Palensi lyceo, in cuius bibliotheca anno 1967 fortuito incidit in aliquod fasciculum *Vitæ Latinæ*. Cum ibi legisset 'Vitæ Latinæ' conventum Avennionense anno 1969 habitum iri, eum participavit et mirans invenit quam iucundus esset usus linguæ Latinæ, necnon utilis commercio inter homines variarum nationum. Qui sermo, ut ipsa sæpe narravit, postea etiam amoris vinculum fuit inter se ipsam et Antoninum Immè.

Cum ultimus 'Vitæ Latinæ' conventus internationalis instituendus fuit, Genovefa, interea particeps facta regiminis huius consociationis, Præsidi Petro Grimal suasit, ut conventus haberetur in sua urbe, ubi res pro eo constituere poterat. Inter hunc conventum Genovefam tum adhuc Métais nominatam (nomine prioris mariti) equidem primum vidi, sed e longinquo.

Ad vivam ergo Latinitatem firmiter conversa, incepit cum discipulis Latine loqui, sed paululum tantum propter officialia programmata necnon brevitatem temporis studio linguæ Latinæ relictis.

Egregia Latina scriptrix facta est, quæ præmiis honestata est in Certamine Capitolino anno 1973, 1975, 1976, 1977, 1978, 1980, 1984, et in Vaticano Certamine anno 1980, 1981, 1983.

Complura opera Latine conscripsit, inter quæ memoro librum c.t. *Sæculorum transvectio*, quo narratur ficticia resurrectio alicuius antiqui Romani; qui liber anno 1976 editus est in Domo editoria Rainardi Brune, Germani Rhenani Latinitatis Vivæ strenui fautoris; idem editor anno 1995 etiam publicavit eius Latinam translationem fabulæ Aloisii Hémon c.t. *Maria Chapdelaine (Maria Capodelania)*. Anno 1975 Genovefa Métais Romæ primum convenit Antoninum Immè, quocum commercium necessario fuit Latinum,

cum is Francogallice nesciret, nec illa Italice. Sine mora inter eos ortus est amor et, cum anno 1978 vidua esset facta, matrimonio coniuncti sunt. Chartula nuntii, quam accepimus, tota erat Latine scripta.

Pali, ubi sedem una constiuerunt, Genovefa suadente marito parvum periodicum Latinum condidit, in quo discipuli symbolas divulgarent. Titulus fuit *M.A.S. (Memento Audere Semper)*. Mox autem undique allata sunt scripta ac periodicum missum est ad omnes orbis terrarum regiones, semper gratuito: qui proximum fasciculum accipere cupiebat, tantum rogabatur ut eum sive telephonice sive per litteras peteret.

Cum coniuges Immè Pali anno 1984 visitavi, Antoninus octoginta tres annos natus male se habebat; quattuor annis post vita functus est.

Genovefa non desiit Latine scribere. In mariti memoriam carmina, q.t. *Amatoria periegesis - Voyage d'amour*, divulgavit; opus anno 1991 editum est in domo editoria Tarmeye et paulo post ab Academia Francogallica exornatum numismate argenteo præmii 'Théophile Gautier'.

Cum die 16 m. Decembris a. 1989 Bruxellis inauguraretur nostra 'Domus Latina', participibus, qui multi fuerunt, se etiam adiunxit Genovefa.

Eadem, quotienscumque Pali ambulabat, stomachabatur quod ibi monumentum in honorem linguæ Zamenhofianæ sive esperanticæ erectum videbat. Adiit ergo burgimagistrum, Andream Labarrère, petens ut linguæ Latinæ quoque monumentum erigeretur. Ille non statim assensus est; oportuit instare atque efficere ut *M.A.S.* lectores mitterent petitiones ad Palensem curiam: acceptis 327 chartulis cursualibus, in quibus homines omnis nationis eandem scripserant sententiam («Ego quoque monumentum in Latinitatis honorem erigi velim»), burgimagister tandem cessit. Sic die 7 m. Ian. a. 1991 una cum Francisca adfui inaugurationi huius monumenti.

Die 11 m. Iunii a. 2012 vita functa est. ☞



*Pali, in horto publico 'Beaumont', monumentum Latinitati dicatum: «Latine loquere ut civis terrarum habere».*

# AVVS MEVS QVID NARRAVERIT DE ITINERIBVS SVIS MARITIMIS ET BELLICOSIS (I)

– *fabulas nauticas avi sui refert Samius Jansson* –

**P**ater meus Väinö Juhani est medicus emeritus anæsthesiologus et aeronauta, sed avus meus Ensio Edmund Jansson erat nauta. Et narravit idem etiam suum avum nautam fuisse. Si alternus filius dumtaxat semper nauta in gente nostra esset, hac ratione oportet me ipsum esse nautam. Non autem sum quamvis interim valde nauta esse velim. Amo enim peregrinari in terris remotis et mirari mores gentium et prospectus alienos. Avus meus Ensio vivebat et navibus magnis ligneis et ferreis navigabat sæpenumero circum totum mundum sæculo vicesimo. Annum natalem eius infelicitate non memini. Fortassis anno 1910? Pater meus natus est anno 1935 et avus meus iuvenis erat circiter viginti plus annorum cum in matrimonium duxit aviam meam caram cui nomen ceterum erat Ingrid Bergman. Avus meus post bellum mundanum secundum manebat in Civitatibus Americæ Unitis et numquam revertit in Finnam nisi cum iam senex valde esset. Itaque cum ego iam iuvenis eram viginti annorum avus reverterat et annos nonnullos habitabat domum patris mei. Eo tempore pater meus in Arabia Saudiana medici opus faciebat et avus custodiebat domum patris in Finnia. Ipse in exercitu Finnico tum militabam ut telegraphista militaris (gloriosus autem non eram miles!). Itaque anno 1986 semper intervallis inter dies serviendi in militia avum meum visitavi et tunc is mihi mirabiles fabulas narravit de itineribus et periculis suis in maribus mundi et inter bella. Quod nolui oblivisci fabulas avi mei, semper vocem eius diligenter impressi in phonocaseta. Vox eius translata est in discum compactum hodie et servata in ordinatri disculo. Avus mortem obiit anno 1996 aut 1997 et tum iam ex Finnia iterum reverterat domum in Americam. Dives numquam erat avus meus ac proinde nihil accepi ab eo hereditate nisi fabulas nauticas mirabiles, quæ aliquando erant etiam obscenæ et violentæ, imaginesque navium ab eo fictas et focale unum.

## DE CUSTODE PUBLICO ALEXANDRINO

*Samius.* Umquamne Arabicis in terris tibi aliquis pugionem minatus est? *Avus.* Hem, ita vero. Alexandria venit in Ægypto quondam ad me custos publicus et sclopetum mihi minatus est dum stabam in crepidine iuxta navem. Deinde actutum custodem ibi illum ante me stantem movi simul ac ipse conversus sum. Quo facto is ibi stetit in crepidine vultu ad me verso et mare post tergum. A margine crepidinis distabamus circiter spatio æquo atque hinc ad scamnum illud. Et ei dixi: «Heu noli mihi in ventrem trudere sclopetum istud, colloquar nunc paululum!» Tunc subito sclopetum a ventre meo seduxi coleosque ei et cingulum apprehendi ac in mare eum pepuli. Celere in imum mare est demersus propter armamenta sua gravia et mox non potuit in undis cerni. Et ego nil nisi secessi

ab illo loco simulans plane nihil ibi interesse mea. Et illuc post eum etiam sclopetum quod amisit miser deieci in undis. Erat enim tempus belli. Nihili feci fatum huius qui mihi sic institit.

## DE PUGNA IN TUNESIA

*Avus narrat.* Quondam in Tunesia, ubi miles conquisitus stipendia merui bello mundano secundo, pugnabamus contra Arabes, quos Germani præmio remunerabantur singulis nostrum, si nos vel vivos captivos vel mortua cadavera eis traderent. Quodam die vestes militares exuimus arenosis in desertis ac civilia vestimenta eorum loco ibi induimus. Quo facto ivimus Susam<sup>1</sup> furtim speculandi causa. Ibi sedebamus in popina coram Germanis et quidem ad vicinam mensam ab eis ac securi valde cervesiam bibentes. Germani videlicet credebant nos ibi exstitisse e nave quadam Scandinavica. Postquam rediimus in desertas ut vestes ibi militares iterum indueremus, Arabes nos ex inopinato oppressi sunt ibi in desertis. Pugna hercle actutum orta est cum iidem nos cultris suis aggressi sunt! Quod ista arena mollis erat ego ibi titubante pede mox ad terram plane supinus cecidi atque Arabi huic, qui me pugione occidere conatus est, carpum tenui firmiter manu. Socius meus quidam, qui ad nos accesserat a legione extranea Franco-Galliæ, erat dromedarii rector, nempe miles a Saharanea centuria meharistica, et calcaribus instructas caligas habebat. Caligam iam exuerat et pede et capillos arripuit isti Arabi atque calcari, quod enim spiculum longum est ferreum, frontem huic perforavit et eum super me sic occidit. «Quæ, malum» inquam, «te Hercle amentia cœgit? Quin istum seduxisti ante quam eum feristi?» Nam cruor tunc super me destillavit ac nusquam ibi lavandi locus erat nisi arenæ sabulo arido vestes fricando. Et muscæ infernales me insectabantur nam nequivi ibi vestes purgare satis bene. Arabes illi etiam mulieres secum habebant et quidam optio legionis extraneæ Græcus ad quandam mulierem, quæ mammam pendulam valde et magnam exhibebat, accessit mammamque apprehendit ac deinde a muliere viva mammam desecuit dicens se indigere novo tabaci marsupio. Et ego ei «Quin, diabole, eam occidisti», inquam «ante quam secuisti mammam ei?», nam anus ista vociferata est infernali clamore. Deinde nos etiam omnes mulieres sclopeto interfecimus easque postea deiecimus in cumulo eodem ac viros, nam causa coacti sumus omnes occidere, ceterum ab eis Germani certiores futuri fuissent de nobis. Hoc facto sepelivimus eos ne vultures monstrarent ubi essent cadavera. ☞

1. *Susa*, oppidum insigne in Tunesia, antiquis temporibus Hadrumetum vocabatur in Africa Proconsulari.

# COLLES CAMPOS FLORES AMICOS

– canunt Anna Elissa Radke et Maurus Pisini –

*Colles*  
Maurus PISINI

Hæc lux, lac pressum foliis subtilibus, ambit  
gressus amborum, dum vitam his tradimus, atque his  
nulla vibrat viridis, zephyris, tunc, mitibus, aura,  
dum tua verba in me deflagrant, excita luce,  
quod te diligo, amans quidquid sors ipsa paravit  
nobis, contra et nos, tenerum per gluten amoris.  
Tum, cordis pulsus crystallina terra videntur  
quæ redit ad vitam, post ardua nempe superstes,  
et quoque iter nebulæ levius patet, inde, vacillat  
haud secus ac velum, dum sudum flectit ubique  
lucis anhelitum agris, quibus ultimus emicat, en, sol  
hic, ubi nunc habitant non nostra silentia colles,  
nunc, curvos, squalidos sub amari pondere cæli,  
October quod mensis avet celare quotannis  
quodque, tamen, pulsat sub lassı veste teporis...



*Carmen vernale 2017*  
Sinano dedicatum  
Anna Elissa RADKE

Quis potest florum prohibere gemmas  
vere, ne rumpant nec humo erigantur  
gramina? Apparent crocus et galanthus  
atque hyacinthus.

Quis tibi obsistet, Venus, o voluptas,  
quam Lucretius genetricem amoris  
laudat æterno prologo, sequamur  
vota poetæ!

Te, Venus, malo precibus rogare  
gemmeum divam solium obtinentem:<sup>1</sup>  
o veni adiutum celerique curru  
passeribusque.

1. Sappho 1D.

*De Campo merulæ (= Amselfeld)*  
Anna Elissa RADKE

Semper in campo merulæ queruntur,  
undique et manes volitant per auras,  
turbaque infelix animarum amœna  
obtinēt arva.

Campus est pugnæ nimis et cruentæ,  
tristis et campus, locus iste amantum  
fata lugentum, quibus est refractum  
fœdus amoris.

Libera, dulcis mea spes, Elissam  
carcere e duro miserisque vinclis,  
luctibus longis querimoniisque,  
reddeque vitam!



*De inscriptione solariis inscripta:*  
«Vulnerant omnes, necat ultima»  
Anna Elissa RADKE

«Vulnerant omnes, necat ultima hora»  
admonent solaria ubique in orbe:  
«Sis memor mortis, fugiunt dies, o  
nos morituros!»

Non, Sinane, omnis moriere! testis  
est poeta illustris, in omne et ævum  
multa pars vivet tua, te tuantur  
carmina amoris.

Artibus servatur homo caducus,  
vivet æterno impavidoque amore.  
Scutum aeneum est tibi basiorum  
innumerorum.

*Epitaphium Nitunæ caniculæ*  
Anna Elissa RADKE

O nigerrima gemmula,  
clausisti tua lumina:  
Mors lumen rapuit meum.  
Molliter requiescas.



## DE NOVIS LIBRIS

A. RISSA (qui et W. LAPINI), *Il cucchiaino di Dio. Cochlear Dei. Ode al capitano Totti in versi latini*, Il Nuovo Melangolo, Genova 2017. ISBN 978-8869830761 (refert Marcus CRISTINI)

Nuper in Italia publici iuris lepidus libellus Latinus factus est, qui *Il cucchiaino di Dio. Cochlear Dei. Ode al capitano Totti in versi latini* inscribitur quique ab Alvaro quodam Rissa exaratus esse dicitur, sed auctor re vera est Valtherus (*Walter*) Lapini, professor ordinarius litterarum Græcarum in universitate Genuensi. Hic, non solum auctorum Græcorum sententiis, sed etiam Latinis carminibus et pediludii arcanis consiliis peritissimus, 77 strophas Sapphicas panxit, ut Romanum pedilusorem Franciscum Totti, qui post viginti quinque annos acrium sphæromachiarum postremo rude (una cum nummis haud paucis) donatus est, ad sidera tolleret. In libello textus Latinus, versio Italica et breves adnotationes historicæ, philologicæ et metricæ leguntur. Lapini mira ratione leges pediludii, memorias certaminum clarissimorum inter ea, quibus Totti interfuit, verba Latina tum vetera ac vere Latina tum recentiora atque pæne Italica et scripta illustrium auctorum antiquorum miscet, ad opus tam iucundum fingendum, ut legenti risum tenere satis difficile sit. Profecto, qui historiam gregis pedilusorii *Romæ* et vitam Francisci Totti bene callent, parvum volumen accuratius intellegent, sed et ii, qui pediludii certaminum varietate versati haud sunt, libellum libenter versabunt. Ut stilum Rissanum (vel Lapinianum) lectrices lectorisque mente comprehendere possint, hic primam et extremam carminis stropham transcribo.

*Gloriam dent Di Stephano perennem  
cælites Messique, et ament Casillas,  
Socratem, Zicum, Eusebium, Carecam  
et Maradonam.*

[...]

*Totticum ast illud quoque ferte in astra,  
cochlear iuxta Rigel atque Vegam,  
ut Platonicam liceat talenti  
noscere formam.*

[*talentum* = it. *talento* = lat. *peritia/virtus*]

Olim auctores Latini panegyricis imperatores, episcopos vel reges laudabant, nunc pedilusores. *O tempora, o mores...*

T. PEKKANEN, *Passio secundum Matthæum, Requiem Latinum aliaque carmina Latina. Adiectum est Requiem Latinum modis musicis instructum a P. Gregorio Santolla*, Leuven University Press, 2017. ISBN 978-94-6270-096-3

Nemini non notus est Tuomo Pekkanen, cuius Latina translatio epici Finno-Scandinarum carminis c.t. *Kalevala* est ubique clarissima. Hoc novo et sollempni opere auctor carmina nobis offert religiosa. In *Passione secundum Matthæum poetica* omnia argumenta euangelistæ (28:1-9) fideliter servavit et versibus rhythmicis reddidit. *Requiem Latinum* composuit ad exemplum Iohannis Brahms (*Ein deutsches Requiem*). Sequuntur alia carmina religiosa necnon, longa appendice, totum *Requiem Latinum* ad musicam accommodatum a P. Gregorio Santolla. Quod opus musicum nuper (die 21 m. Maii 2017) publice creatum est in urbe *Noci*, in Apulia.

Adduntur etiam de re metrica duo capitula lectu digna: «De versibus strophisque» et «De hiatu vitando». Liceat hic, tamquam prægustationem, præbere ex *Passione* tertiam Petri negationem:

*Detestari incipit,  
Christum se novisse  
negat, iurat hominem  
numquam se vidisse.*

# BIBLIOTHECA LATINA

*Est autem continuo  
galli cantus datus  
et Petrus Dominici  
verbi recordatus.*

*Iesus enim dixerat  
ante galli cantum  
se a Petro tertium  
iri denegatum.  
Ita dictum Domini  
est verificatum.  
Petrus foras exiit  
amare ploratum.*

A.E. RADKE, *Arengulus: carmina miscellanea*, Heidelberg, Mattes Verlag, 2017. ISBN 978-3868091151

Hæc claræ poetissæ hodiernæ «piscatio poetica» dedicata est professori Alphonso Weische Monasteriensi, amico, collegæ necnon et ipsi poetæ, occasione eius octogesimi quinti diei natalis.

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

in museo Domus Erasmianæ a Melissa præbetur omni Martis die ab hora  
18 ad horam 19.30. Duo sunt lectionum gradus, et incipientibus et magis  
progressis apti.

Si quis plura scire cupit: [g.licoppe@skynet.be](mailto:g.licoppe@skynet.be)





# *In hoc fasciculo !*

*De vegetalium mundo secreto* [G. Licoppe] p. 1

*De antipodibus* [F. Deraedt] p. 3

*Adam, quis es?* (II) [G. Licoppe] p. 7

*In memoriam* (I) [G. Licoppe] p. 10

*Avus meus quid narraverit* (I) [S. Jansson] p. 13

*Pagina poetica* [A.E. Radke, M. Pisini] p. 14

*Bibliotheca Latina* p. 15

*Imago tegumentis: naves depictae ab Ensio Edmund Jansson, nauta  
(possessio Samii Jansson)*

---

## **Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :**

TH. SACRÉ (ed.), *De Desiderio Erasmo eiusque fortuna commentationes*.  
15 eur. (+ 10 eur. pro sumptibus cursualibus in Europa)

G. LICOPPE, *Academia Latinitati Fovendæ. Eius historia per motum  
Latinitatis vivæ considerata (1952-2012)* - 30 eur.

G. LICOPPE, *De Romano imperio orientali - veræ historiæ conspectus* - 25 eur.

H. SIENKIEWICZ, *Anthea* – Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro  
Angelino versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus  
Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriæ narrationes veste Latina  
indutæ*. Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-  
Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*  
De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et lin-  
guisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius* - In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit,  
ac de Cæsaris navigationibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt  
De antiqua Ægypto phantastica fabula romancia (de historia cuiusdam  
muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo  
Ægyptologo. 15 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*  
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra  
tempora numquam voluit mori. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA